

Decif. Aurearum Pars II. Lib. I.

cap. Diaconus, num. 23, imprimitur character in datione libri euangeliorum: & hoc, quia deputatio eius ad suum principalem actum non potuit exprimi per traditionem alitius rei corporalis: Cui enim Diaconus habet potestatem supra corpus, & sanguinem contenta in vasis, non potuit hæc potestas exprimi per dationem vasorū tantum, nec per dationē materiæ consecratæ, quia non habet eam immediatè tangere, nec etiam decens esset vt sibi darentur vasa cum corpore, & sanguine Christi, cum sacerdoti, qui superior est, non tradatur corpus, & sanguis, sed vinum, & hofia, & ideo oportuit, quòd imprimeretur per traditionē instrumenti pertinentis ad actum secundarium, hoc est per traditionem libri Euangeliorum. Subdiacono verò imprimitur in traditione calicis, & patenæ vacuis. cap. Subdiaconus, dist. 23. & ratio est:

18 quia Subdiaconus † habet duos actus, legere epistolam, & ordinare materiam Eucharisticā, & ponere in vasis sacris secūdus actus est principalior, quia sacramentum Eucharisticū immediatior, ergo ad illum tanquam excellentiorem imprimitur character. Ita Turrecrem. in cap. subdiaconus dist. 23. Sic cum principalior actus Acoliti sit in quo ministrat in vaceolo, quam portare cererum, idèò character imprimitur in traditione urceoli, quamuis ab illo actu denominetur, qui magis apparens est, & frequentior. Ita D. Tho. quem sequitur Richard. & Turrecrem. in cap. Acolitus, dist. 23. Sic Exorcistæ imprimitur character iuxta communem omnium sententiam in datione libri Exorcismorum, in quo datur potestas spiritalis ad impediendum potestatem demonis. Pariter Lectori in traditione libri, in quo lecturus est sub forma præscripta verborum, Turrecrem. in cap. exorcista, & cap. Lector, distinct. 23.

19 An † verò character vnus ordinis præsupponat de necessitate characterem alterius. Dic, quòd non. Hinc in primitiua Ecclesia aliqui ordinabantur in presbyteros, qui prius ordines minores non

susceperant, sed bene, de congruitate. Est enim de congruo, quia actus potestatis, & ordinis inferioris aliquo modo præordinatur, & præexigitur ad actum superioris. Et inde est, quòd qui per saltum ordinatur, secundum canones non reordinatur, sed illud quod omissum est de præcedentibus ordinibus, ei confertur, dist. 52. cap. sollicitudo. de cler. per salt. prom. cap. tuæ. Præsupponit tamen de necessitate characterem baptismi, cum baptismus sit fundamentum omnium sacramentorum, & ianua, & idèò fundamento non existente, nihil potest superædificari, cap. veniens, de presbyt. non baptul. Characterem verò Confirmationis præsupponit de congruo: quia non potest quis idoneè ordinem suscipere, nec eius actus peragere, nisi sit confirmatus, Astenf. lib. 6. de sac. ordin. artic. 4. quæst. 3. 4. & 6. Forma verò cuiuslibet Ordinis habetur per Catechif. Rom. de sacram. ordin. Tactura verò materiæ secundum vniuersum, & tutiorem opinionem, necessaria est, & est de essentia huius sacramenti, licet Caietan. & alii, teneant, quòd non. & ratio est: quia què admodum non acquiritur dominium, nisi per possessionem, quæ fit per contactum, ita non acquiritur aliquis potestatis celebrandi, quia materiam tangat. Sed

20 si quæretur † an omnes Ordines sint plura sacramenta, quòd videtur propter diuersos characteres, sicut baptismus, & Confirmatio sunt plura sacramenta, an vnum. Dic, quòd omnes ordines sunt vnum sacramentum. Est tamen hoc pro intelligentia adnotandum, quòd Vnum dicitur sex modis. Est enim Vnum indiuisibilitatis, vt Punctus. Vnum vnitatis continuitatis, vt linea, vnum congregationis, vt numerus, Vnum vnitatis perfectionis integralis, vt corpus animatū, Vnum vnitatis coordinationis ad vnum actum, vel finem, sicut dicit Apost. Qui plantat, & qui rigat, vnum sunt: & sic dicitur vnus exercitus. Et hoc vltimo modo dicitur Ordo vnum sacramentum ex diuersis specialibus ordinibus quasi consti-